34-3-5-6-

DE AUGUSTISSIMO TRINITATIS *MYSTERIO* ORATIO

QUAM HABUIT IN PONTIFICIO VATICANO SACELLO

DECIMO PRIMO CALENDAS JUN.

AD SANCTISSIMUM D. N.

PIUM SEXTUM

LAURENTIUS EX MARCHIONIBUS MARI
PATRITIUS GENUENSIS
COLLEGII CLEMENTINI CONVICTOR.



ROMÆ M. DCC. LXXXV.

EX TYPOGRAPHIA PILUCCHI CRACAS
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO SEXTO

PONTIFICI MAXIMO

LAURENTIUS MARI

FELICITATEM

ID unum deerat pleniſſimæ felicitatis meæ votis, Beatissime Pater, *ut tandem aliquando in amplissimo, universique terrarum Orbis auguſtissimo Vaticani Sacello tuo in conspectu verba facere promererer. Meo*

huic deſiderio non diutius adverſari fortuna videbatur, cum jam denique mihi, licet nulla animi præſtantia, nullaque ingenii nobilitate ſuffulto, de ineffabili TRINITATIS *Myſterio diſſerendi nuper munus injungeretur. Inficiari equidem non poſſem, me non leviter argumenti magnitudine commoveri; ea tamen fretus facilitate, qua ſoles ad te accedentes peramanter excipere, nil erat, quod beatius ulterius exiſtimarem, aut vehementius expeterem. Si quantopere hac de re exultarem, nullo antea negotio potuiſsem oſtendere, non eadem modo ratione ſignificare certo poſſem quam maxime dolui, cum, te aliorſum a florentis Imperii tui regimine accerſito, Orationem hanc meam inopinato perſenſi tuo amplius non recreari adſpectu, cujus omnes dignitatem venerantur, cujus ſingularem, ac prope divinam ſapientiam intuentur, ac cujus e ſerena tranquillitate omnium*


noſtrum

Digitized by Google

noſtrum dependet hilaritas. Cum mea hæc attamen Oratiuncula, *ut ut quam ſit exigua dignoſcerem, atque ab ea, qua praefulges celſitudine abhorrens, ut mos eſt, mihi publicam exhibenda eſſet in lucem, quo hanc alio, praeter tuum, ampliſſimo Mecœnatis nomine protuliſſem inſcriptam? Non hoc ſane, quin injuſtitiae redarguerer, perpetrare poſse autumaſſem, cum is unus extes in terris, cui ſuprema divinarum rerum adminiſtratio, quam geris id proprio velut jure vindicare videtur, et cum te Principem, praeſertim noſtri amantiſſimum omnes norint, cui etiam Clementinum Collegium, et omnimodam incolumitatem ſuam, et infinita prorſus merita profitetur. Si mea haec itaque tuos ſiſtitur ante pedes* Oratio, *id profecto non eſt, cur gloriae tuae lucem novam inferre peroptem; (haec enim hujuſmodi eſt, ut nulla unquam deleri poſſit vetuſtate, aut oblivione inobſcura-*

rari) ſed ut inter eas perbelle recenſeatur, quas et tua complectitur comitas, et tua non dedignatur humanitas. Tu, vero, ne meas haſce, quaeſo, ineuntis aetatis primitias, utpote Religionis meae, meique teſtes obſequii torvis oculis aſpicias; nuſquam enim tibi erit inglorium, cum ſeris demandabitur nepotibus, te totum in curandis maximis diſtentum, parvum etiam non deſpexiſſe munuſculum. Vive diu, Beatissime Pater, *teque in ingentem populorum ſpem, tuique ad regni incolumitatem in dies plurimos ſoſpitet Deus; et cum me, meoſque inſimul ſodales, quod unum a te obſecro, in tuam fidem accepers, eoſdem etiam et aura refove lenitatis tuae, et Apoſtolicæ* Benedictionis *gratia perfunde.*

Digitized by Google



ORATIO

NUsquam clarius humanae mentis imbecillitas innoteſcit, Beatissime Pater, quam dum congenitæ infirmitatis immemor, per eas tantum corporeas ideas, quas cum artis, tum ingenii ministerio percepit, illa audax conatur attingere, quæ & sunt mortalium nisibus impervia, quæquæ omnem intelligendi aciem perstringunt. Et sane quo unquam pacto fieri poterit, ut quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, (a) terreno adhuc corpore conclusa, ea non jam dicam enarret, sed ne tantisper quidem perspiciat? Aſt quæ Mysteriorum fontibus adjungebantur utilitates, nimia erant humanis viribus adjumenta, ne ipsas inconsulto divina prætermitteret dispositio, neque iis ullo modo occurreret suprema Conditoris noſtri benignitas. Ad hoc mirifice opus intemerata Fidei virtus conduxit, jamque lumine

huj

(a) *I. cor.* 2.

hujusce duce, eo nostræ cogitationes deveniunt, quo profecto non sineret extrema cæteroquin hominis hebetatio. Hoc de tam præclari beneficio, hodierna die omnium mater congaudet Ecclesia, annuisque Trinitatis solemniis redeuntibus, ac Joannis, felicis recordationis vicesimi secundi Pontificis Maximi, institutis inhærens, augustissimi Mysterij hujus celebrationem ad ingens populorum pabulum proponit. De eodem itaque ipso nos quoque proficientes, huc, quantum homini datur, intuitus nostros conferamus, eaque potissimum in tam ubere materia deligamus, quibus de tanti arcani magnitudine pertractantes animum nostrum in æternæ salutis spem erigamus, atque ad debitam, erga ipsam, reverentiam excitemus. Unde autem in Orationem hanc meam ingrediar? vel quo videlicet hujusce cursum convertam, cum pro certo, Augustinus adfirmet nec alicubi periculosius errari, quam in disputatione de Trinitate, nec laboriosius aliquid quæri, nec fructuosius aliquid adinveniri? (a) Verum cum hujus maxime verba ad ea, quæ significanda insumpsimus, proficiat, meum erit præstare, ut quantum per abstrusum æque, ac sacratissimum Trinitatis Mysterium incomprehensibile intellexerimus, tantundem etiam quid nobis peragendum sit innotescat, ut id ad spiritalem utilitatem nostram accommodatum apposite persentiamus.

Et sane, si in Dei notione inquirenda, præter eam, quæ omnium animis est insita, ulteriora quoque peroptamus argumenta, tum cælos, qui tam splendide hujusce gloriam enarrant, ut eorum verba nec loquelæ sint, nec sermones, quorum voces non exaudiantur; (b) tum miram etiam rerum omnium varietatem, quibus affabre Mundialis machina componitur, vel leviter tantum inspexisse sat erit. Verum cum divinæ Triadis arcanum nostris mentibus obversatur, tam densa verendaque

cali-

(a) *Auguſt. de Trin. lib. I. 3.* (b) *Pſal. 18. 3.*

Digitized by Google

caligine caecutimus ut cum singula attigisse videmur, adhuc ea a nobis quammaxime longe posita dignoscamus. Enimvero quis unquam poterit, praeterquam a sensibus distractus circumfusas undique Myſterii hujusce tenebras pervadere; deprehendere scilicet Patrem esse Filii principium, eundemque una cum Filio, Sancti Spiritus extare principium, cum alter generetur a Patre, alter a Patre, Filioque procedat: Filium, Dei Patris esse Verbum; & cum mutuo sese amore diligant & Pater, & Verbum, hanc esse Divini Spiritus proprietatem, ut Amor sit, & ex divina, tum Patris, tum Filii voluntate procedens. Nonne sane cum Ecclesiam nobis indicentem exaudimus unum esse Deum adoratione prosequendum, adeo tamen ut eundem Trinum in personis veneremur, mens illico in cogitatione deficit, attonitus haeret animus, ac veluti consilii inopes, incertisve acti tempestatibus per immensum hunc Divinitatis pelagum fluctuamus? Nonne itidem cum certo constet aliam esse personam Patris, Filii aliam, ac Spiritus Sancti; ac tamen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unam esse divinitatem, aequalem gloriam, majestatemque coeternam (*a*); nonne, inquam, tum temporis tam increscit admiratio, quantum haec capacitatem hominum antecellunt, aut praestant humanis divina, aut sempiterna caducis? Hinc itaque profecto est, quod de supernarum rerum altitudine perscrutantibus elaborare apprime vetet Ecclesiasticus non enim, inquit, comprehendetis; (*b*) multa namque, teste ipso, dicemus, & deficiemus in verbis, (*c*) quia sicuti nimia melis delibatio in apertam vertitur comaedentis perniciem, sic qui sacrutator est majestatis, nimio sane, maximoque lumine perculsus opprimetur a gloria. (*d*) Quamobrem non alia hinc ratione factum esse censendum est, ut re-

(*a*) *Athan. Sym.* (*b*) *Eccl.* XLIII 34.
(*c*) *ibid.* 29. (*d*) *Prover. XXV.* 27.

Digitized by Google

remotissimis, recentibusque temporibus plerique hominum extiterint, qui eorum solummodo præjudicatis opinionibus subnixi, vel divinam illam, quæ nobis superne affulsit claritatem despicientes impiissima de ineffabili Triade sint comenta dementiti, vel vanas tantum, futilesque prodiderint cogitationes. Non hoc equidem sibi tempus exposcit, ut in medium Platonem adducam, qui tres licet divinitates detexisse profiteretur, longe aliter tamen de eo Trinitatis Mysterio comminiscebatur, quod nec demonstratione rationum, sed Fide tantum, piaque cogitatione deprehenditur (*b*); verum nulla possum ratione Arium tacitus prætermittere, qui in æterni Verbi divinitatem deblaterans, idem etiam, per summum nefas, jactitabat, neque huic eandem esse cum Patre substantialitatem, nec alioqui, quam cum creatis rebus comparandum, Sabellium prætermittere nequeo, cui nil aliud ineffabile Trinitatis nomen quam inanem vocum significationem portendebat; neque demum Macedonium prætermittere, qui Divinum Spiritum, aut Patri coequalem, aut a Patre, Filioque procedere inficiabatur; ne alios quamplurimos de Hebionitarum, Manichæorum, Deistarumque grege commemorem, qui, quæ de Deo prædicantur, ea vel impudenter contendentes, vel perperam adstruentes, immane quantum a Trinitatis Fide abhorreant! Horum gæsta, horum figmenta, horum lapsus, nil sunt quam totidem auribus nostris voces insonantes, nobisque quodammodo annuunt, quam incomprehensibilia sint judicia Domini, & investigabiles viæ ejus. (*b*)

Ast quamvis divinæ scientiæ sacramenta, per se nobis inaccessa, & recondita sensuum longe capacitatem excedant, ipsa tamen ad beatitudinem nostram comparantur; ideoque ut huic apposite inserviant, non omnem profecto animadversionem nostram depellere existimandum erit. Ut enim nostra in unam-quam-

(*a*) *Athan ad Serap.* (*b*) *Ad Rom. cap.* XI. *v.* 33.

quamque rem excitetur affectio, ejus quasque vel proprietates intueri, vel connaturalia attributa, cæterosque ab iis emanantes effectus, opus esset deprehendere. Quare quoniam Mysteriorum arcana per Fidem proposita intime nobis perlustrare non licet, eorum tamen, quam in nos regerunt, congruentiam vel utilitatem, dignitatemque serio contemplasse juvabit. Quoties enim hæc sæpius mente revolverimus; nonne sæpius etiam tunc illico quasi mane collucescet, a Supremo Deo Patre, cum adhuc in immensa possibilium multitudine jaceremus, fuisse nos ad illius immaginem effictos; ac si vivimus, movemur, & sumus, vel si quicquid ad vitæ nostræ incolumitatem conducit, accepimus, hæc esse totidem ejusdem Patris munificentiæ apertissima pignora? Nonne a Filio, cum post Adæ defectionem immani servitutis pondere premeremur, piissimæ reparationis nostræ recordabimur? Nonne demum a Divino Spiritu, tot portenta mirifica, quibus Ecclesia Dei collustratur, tot charismatum dona, tot linguarum genera, atque in gratiam istam inferamus accessum oportebit, in qua & beati constituimur, & in spe gloriæ filiorum Dei exultamus? (*a*) Tot iis, tantisque perciti beneficiis, lætitia equidem inenarrabili exultabimus, nimioque gaudio gestientes in eas crebro Apostoli voces irrumpemus, Oh Altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei! (*b*) Cumque maxime in harum rerum cognitionem devenienius per Fidem, quamplurimas Deo grates rependemus, qui cum homines ad hæc assequenda hebetes, imparesque conspiceret, eos Fidei coadjuvari lumine decreverit, ne in perscrutatione deficientes laberemur.

Quæ porro cum ita sint, qui difficultatem in Fidei Mysteriis, ac facilem, in iis tradendis, in errores proclivitatem percepimus, ulterius quam par est, ne obtutus nostros conjectemus;

(*a*) *Ad Rom. cap. V. v.* 2. (*b*) *Ad Rom. cap. XI. v.* 33.

mus; ſed quantum horum humilis recogitatio nobis afferat utilitatis edocti, prudentes non plura, quam oporteat exoptemus, ſed ad ſobrietatem congruenter ſapere ſtudeamus. Cum neminem autem, ne rudem quidem, aut neſcium adinvenire ſit, qui munifica Trinitatis beneficia, vel in iis, quæ ſibimet decernuntur, vel in ſeipſo non ſenſerit, quid quod nil rerum harum contemplatione jucundius, nil gratius, aut nil ſuavius exiſtimamus? His Fide una auſpice, unoque divinæ gratiæ adjutorio cogitationes noſtras defigamus, quoadusque noctis hujus caligine depulſa, ſupremam illam, nulloque amplius ænigmate obſitam inſpiciemus Trinitatem, quam modo & veneramur, & colimus, et a qua ad vitæ ſanctimoniam, multifarie, mirumque prorſus in modum excitamur.

IMPRIMATUR

Si videbitur Rmo Pat. Sacr. Pal. Apoſtol. Magiſt.

F. A. Marcucci Patriarc. Coſtantinop. Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas M. Mamachi O. P. S. P. Apoſt. Magiſt.

mus); sed quantum horum humilis recogitatio nobis afferat utilitatis edocti, prudentes non plura, quam oporteat exoptemus, sed ad sobrietatem congruenter sapere studeamus. Cum neminem autem, ne rudem quidem, aut nescium adinvenire sit, qui munifica Trinitatis beneficia, vel in iis, quæ sibimet decernuntur, vel in seipso non senserit, quid quod nil rerum harum contemplatione jucundius, nil gratius, aut nil suavius existimamus? His Fide una auspice, unoque divinæ gratiæ adjutorio cogitationes nostras defigamus, quoadusque noctis hujus caligine depulsa, supremam illam, nulloque amplius ænigmate obsitam inspiciemus Trinitatem, quam modo & veneramur, & colimus, et a qua ad vitæ sanctimoniam, multifarie, mirumque prorsus in modum excitamur.

IMPRIMATUR

Si videbitur Rmo Pat. Sacr. Pal. Apoſtol. Magiſt.

F. A. Marcucci Patriarc. Coſtantinop. Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas M. Mamachi O. P. S. P. Apoſt. Magiſt.